Jesuita infensus pravo isto suo ac iniquissimo figmento maledicit DEO, Principi, ac innocentissimo hoc in passu Protestanti. Pontificii, in rebus theologicis usum consequentiarum negant. In hac vero argumentatione id oblitus est bonus Compillator, nimirum caeco adfectuum impetu abreptus. Mirum est, tam Excelsam Sedem his persvasionibus victam, miseris Protestantibus nil in favorem deliberasse. Litiga o DEUS! litem nostram!

Alibi et alias, si DEUS volet argumentum hoc latius deducam.

Caput sequens.

De Visitatione per Excellmum D. Comitem ac Eppum Vatziensem Carolum Esterhazi peracta, An. 1761. diebus et mense infra signatis de qua notandum:

Agnoscimus Dioecesanum Eppum, in puncto baptismatis emanati Regii intimati vigore Ecclesias nostras visitare posse; quamvis intimatum illud Regium Anni 1742. de semel tantum, non continuative instituenda visitatione loqui videatur. Verum bonus Dioecesanus intra cancellos illius Intimati semet continere deberet, non item ad alios nogae usus Ecclesiarum nostrarum vellicandos, quin infringendos extravagari, quod prudentissime observabat cum primum visitaret Excelmus Eppus ab Althán. Ast citatus supra Ex: D. Eppus Esterhazi, pro infensissimo suo in nostram Religionem odio, praeter punctum baptismatis in aliis adhuc duobus nos impedire conatus est: nimirum 1. Stolaria Lutheranorum Parocho Romi Catholico addixit. 2. Comitivam Supplicii assiliendorum prohibuit. In quibus duobus postremis nos illi paruisse, timidi omnino ac pusillanimis animi est indicium, tam facti poenitentia, quam dictorum usum reassumtione corrigendum.

Formula peractae visitationis ab ipsomet Eppo concinnata.

Nos Carolus, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Vaciensis e Comitibus Esterházy de Galantha, Perpetuus Comes in Fraknó, Arcium et Dominiorum in Pápa, Ugod, et Devetser Haereditarius Dominus, nec non utriusque Sac. Cae. et Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimus Consiliarius.

Spiritualibus Ovium nobis Divinitus concreditarum necessitatibus intenti Aº 1761 die 20ma Junii accessimus Oppidum Hód Mező Vásárhely in Comitatu Csongradiensi situatum, et Jurisdictioni Terrestrali Illmi Dni Comitis Antonii Károlyi de Nagy Károly Cottus Szathmariensis Supremi Comitis, Sac. Cae. et Regiae Apostolicae Majestatis Generalis Vigiliarum Praefecti etc. pro ad totum subjectum, ibique persoluta absolutione Fidelium defunctorum, impertita Benedictione Solemni, publicatis de more Indulgentiis, administrato etiam Sacramento Confirmationis, Ecclesiam, Populumque Canonice visitantes comperimus et ordinavimus.

Quoad Ecclesiam

§. I. Ecclesiam Oppidi hujus satis amplam ex solidis materialibus aedificatam longitudinis Orgiarum circiter 18 latitudinis 9 fornice per totum obductam, Sacristiam commodam habentem, a latere Evangelii choro, et turri satis alta lapideis provisam, erectam expensis piae Defuncti Excellmi ac Illmi Comitis Francisci Károlyi de Nagy Károly, renitentibus hujus loci incolis Reformatis in 4000 florenis, cujus lapidem primum depositum esse intelleximus per Excellmum Illmum ac Reverendum Dnum piae memoriae Antecessorem nostrum Carolum Comitem ab Altham, Episcopum olim Vaciensem etc. 1756 et perfecta hac Ecclesia Anno subinde 1759 in honorem SSmae Trinitatis benedictam per Rndum Dominum Gregorium Tintze, Parochum Csongradiensis Parochum et Districtus Csongradiensis ejusdem Archidiaconorum ipsa die SSmae Trinitatis, nunquam pollutam, nec tamen consecratam (Felszentelés megtörtént 1886 május-ban a váci püspök által. Kegyeskedvén) Pariter observavimus existere in Ecclesia praefata Altaria tria, majus honori SSmae Trinitatis dicatum, reliqua duo absque certo Patrono, omnia tria certis tantum imaginibus provisa, majorem ornatum postulantia. In quolibet horum depraehenduntur altaria portatilia absque nomine consecratorum, per Antecessores tamen nostros consecrata, et non violata, tobaliis necessariis, et aliis requisitis provisa, super omnibus etiam quandoque dicitur Missa.

§. II. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum mundo in loco conservari tam in ostensorio quam in ciborio observavimus, saepiusque, praesertim in aestate fere quolibet octiduo renovari intelleximus. Ardet perpetuum lumen in lampade, quod expensis Ecclesiae procuratur.

§. III Fontem baptismalem e lapide exstructum, habentem desuper coopertorium ligneum, cum figura S. Joannis Xtum baptizantis, intusque instrumento cupreo, aqua in vigilia Pentecostes hoc anno consecrata provisum, una cum ampulla ad baptizandum destinata, et salinario ac instrumento alio, pro aqua baptismali defluente excipienda,

munda.